





CARD VIVES

.....
HOMILIARIUS
BREVIARII
ROMANI

1

BV4254
.3
H6
v.1





EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



1080015308



EX

HEMETHERI
Epis

HOMILIARIUS BREVIARII ROMANI

DOMINICALES AC FERIALES HOMILIAS
IN BREVIARIO ROMANO ABBREVIATAS EX INTEGRO CONTINENS
ALIASQUE PRO SINGULIS ANNI FERIS PROPRIA HOMILIA CARENTIBUS
CUM QUOTIDIANIS VARIISQUE DOCUMENTIS

IN USUM CONCIONATORUM ET SCHOLARUM SACRAE ELOQUENTIAE

COLLEGIT ORDINAVIT EDDIDITQUE

FR. IOSEPHUS CALASANCIUS CARD. VIVES

O. M. CAP.

TOMUS I.



UNIVERSIDAD DE VALLADOLID
Biblioteca Valverde y Tellez

ROMAE
TYPIS ARTIFICUM A S. IOSEPHO

MCMIII

HOMILIARIUS
BREVIARII ROMANI



HOMILIARIUS BREVIARII ROMANI

DOMINICALES AC FERIALES HOMILIAS
IN BREVIARIO ROMANO ABBREVIATAS EX INTEGRO CONTINENS
ALIASQUE PRO SINGULIS ANNI FERIS PROPRIA HOMILIA CARENTIBUS
CUM QUOTIDIANIS VARIISQUE DOCUMENTIS

IN USUM CONCIONATORUM ET SCHOLARUM SACRAE ELOQUENTIAE

COLLEGIT ORDINAVIT EDIDITQUE

FR. IOSEPHUS CALASANCTIUS CARD. VIVES

U. N. CAP.

TOMUS I.



UNIVERSITATIS VALENTINAE
BIBLIOTECA

UNIVERSIDAD
Biblioteca V



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

ROMAE
TYPIS ARTIFICUM A S. IOSEPHO

MCMIII.

45247

BV 42 54

.3

H6

V.1

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P. S. P. Ap. Magister.

IMPRIMATUR

JOSEPH CEPPETELLI, Archiep. Myren., Vicesgerens.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ



Biblioteca Nacional de España
Capilla de San Juan

1884

PROLOGUS

DE PIETATE ET SCIENTIA SACRA CONCIONATORIBUS NECESSARIA

Duo praesertim concionatoribus necessaria sunt: Christiana pietas et scientia sacra. "Primum quidem quod ad sacri oratoris personam attinet, caveant [Episcopij] huiusmodi adeo sanctum ministerium ulli concedere, qui nec sincera christiana pietate praeditus, nec fervido in Dominum nostrum Iesum Christum amore incensus sit; sine quo aliud profecto non esset orator, nisi *aut aes sonans, aut cymbalum tintiens* (I Cor. xiii, 1), nec unquam verum divinae gloriae et salutis aeternae animarum zelum habere posset, qui solus et ratio impellens, et finis ultimus evangelicae praedicationis, sit oportet. — Haec vero Christiana pietas, sacris verbi Dei Praeconibus adeo necessaria, etiam in exteriori agendi ratione fulgeat necesse est, quae cum traditis e suggestu documentis pugnare non debet; nec quidquam iidem praesefere vulgare aut mundanum; sed tales se exhibere, ut quisque illos existimet *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (I Cor. iv, 1): *secus enim*, ut Sanctus Thomas Aquinas animadvertit, *si doctrina est bona, et Praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae in doctrinam Dei* (Comment. in Matth. v) ". Ita habetur in Instructione S. C. Episc. et Regul. de Sacra Praedicatione, 31 Iulii 1894.

II. Unde merito scribit S. Bonaventura: "Doctor Scripturae evangelicae debet esse inunctus divina gratia, institutus mera obedientia, inflammatus benevolentia fraterna ". Et addit: Si talis non sis, "exaudi teipsum, durissime, immanissime, surdissime doctor: quid tibi lingua aurea, et cor ferreum? ". Cui concordat Patriarcha Seraphicus dicens: "Prius praedicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus: prius intus calefcere, quam extra verba proferre ". Et subiungit: "Plangendus est praedicator, tamquam pietate privatus, qui in praedicatione non animarum salutem, sed propriam laudem quaerit; sive qui pravitate destruit vitae, quod aedificat veritate doctrinae ".

III. Humilis sit et charitate succensus, qui praedicationis officium suscipit, nam teste Blosio, "qui humiliter de se non sentit, qui Deum non diligit, elinguis est et infans, quantumlibet eruditus esse videatur atque elegans ". Et, ut ait Hugo Cardinalis: "Nisi praedicator coelum fuerit, stellatus virtutibus, altus vita, clarus scientia, concavus humilitate, increpato sua plus nocet, quam iuvat ". Ideoque, ut monet Hugo a S. Victore: "Praedicator debet esse sanctus, doctus, discretus, maturus, facundus, honestae conversationis, constans, integrae fama, humilis, affabilis, missus ".

008635

IV. Bonorum Domini erogari sit oportet minister verbi Domini. Etenim, iuxta Hugonem Cardinalem: "Bona Domini sunt: paupertas, angustia, fames, vilitas, humilitas, morum honestas, animarum zelus, doctrinae pabulum, quae quasi divitias pauperibus erogandas debet portare secum praedicator; ut tanto citius ad sequendum Deum persuadeat, quanto auditoribus in seipso monstrat quod praedicat." E contra, "doctoris vitio, etiam ipsa vera doctrina vilescit; quia dum non vivit sicut docet, ipsam, quam praedicat veritatem, contemptibilem facit", ait S. Isidorus Hispalensis.

V. Christianae pietatis et virtutis sociam sacram scientiam habet praedicator, iuxta hoc citatae Instructionis S. C. Episc. et Regularium monitum: "Cum pietate vero et christiana virtute etiam scientia sacra coniunctim socianda est; cum apprime compertum sit, atque assidua experientia comprobatum, praedicationem vere sapientem, rite ordinatam ac fructuosam ab iis, qui bonis studiis, praesertim vero sacris, instructi non sint, frustra expectari; eosque cuidam, qua praestant, naturali loquacitati fidentes, quin nihilum, aut parum admodum, se praeparent, pulpitem ascendere." Unde rite scribit S. Hieronymus: "Multo tempore disce quod doceas, et sic non temeritate quorundam doceas quod nescias, sed ante disce quod dicturus es... Item: "Qui speculator futurus est, et Dei verba populo narraturus, multo tempore debet quiescere, et dolere ad ea quae videat, nihilque habere eorum in conscientia, quae in aliis correpturus est." Et S. Bernardus: "Canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas, tantae charitatis sunt, per quos nobis fluente coelestia emanant, ut ante infuldere quam effundere velint, loqui quam audire paratiores, et prompti docere quod non didicerunt."

VI. Quapropter, ut monet Glossa ordinaria: "Qui indoctus officium docendi usurpat, et Christum non sinceriter nuntiat, maiorem damnationem meretur, quam si solus suo scelere periret." De praesumptuoso autem et indevoto concionatore, dicendum cum S. Bernardo: "Verbosum adolescentem et studentem eloquentiae, cum sapientiae sit inanis, non aliquid quam iustitiae hostem reputes." Et cum S. Ioanne Chrysostomo: "Nihil prodest habere te verba, si scientiam non habueris: nihil prodest habere te verba, habere te scientiam, si non habueris opera."

VII. Nec tamen parvi facienda est eloquentia, nam teste Lactantio: "Veritas licet possit sine eloquentia defendi, ut est a multis saepe defensa; tamen claritate ac nitore sermonis illustranda, et quodammodo differenda est, ut potentius in animos influat et vi sua instructa, et luce orationis ornata." Vera enim eloquentia, teste S. Augustino, "est quaedam doctrina salutaris movendo affectui discitentium accommodata, a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritalia, a temporalibus ad aeterna."

VIII. Materia et res propria sacrae praedicationis, ait Instructio S. C. Episc. et Regularium supra citata, "His divini Redemptoris verbis continentur: *Praedicate Evangelium... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (MATTH. XXVIII, 20). Quae verba enarrans Angelicus Doctor scribit: *Praedicator debet illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare; et modo comminando, modo exhortando, hominibus salutaria praedicare* (loco supra citato). Et S. Tridentinum Concilium: *Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant* (Sess. v, cap. 2, de Ref.). Sed multo amplius a summo Pontifice Pio IX id declaratum fuit haec scribente (Litt. encycl. 9 Nov. 1846): *Non semetipsos, sed Christum Crucifixum praedicantes sanctissimae nostrae Religionis dogmata et praecepta iuxta Catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populis clare aperiteque annuntiant; peculiaria singulorum officia accurate explicent; omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo Fideles, Dei verbo salubriter imbuti atque reflecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas penas evadere, et coelestem gloriam consequi valeant. Ex quibus omnibus manifesto liquet, Symbolum, Decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes et vitia, varia*

hominum officia pro conditionis cuiusque varietate, hominis novissima, aliasque id genus aeternas veritates ordinariam debere sacrae praedicationis materiam constitutere."

IX. Quae omnia compendiatia habentur in mirabili hoc eloquentiae sacrae documento, quod fert Regula S. Francisci Seraphici: "Moned quoque et exhortor eosdem Fratres, ut in praedicatione quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis, quia *verbum abbreviatum fecit Dominus super terram*."

X. Sacra vero eruditio, ecclesiasticis concionatoribus potiori ratione necessaria, est *Scriptura divinitus inspirata*. De qua re ita scribit SS. D. N. Leo Papa XIII in Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 Nov. 1893: "Haec propria et singularis sacrarum Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus sancti profecta, ea est quae Oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute, et Spiritu sancto, et in plenitudine multa (I THRS., 1, 5). Quapropter ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de Religione habent, et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant, nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis, quam divinis, innixi. Istorum scilicet orationem quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne caret sermonis Dei, eademque longe abesse ab illa, quae divinus sermo pollet virtute: *Virtus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (HEBR. IV, 12). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in Sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit, disertèque arguit (De Doctr. Christ., IV, 6, 7); atque res ipsa confirmat, et praestantissimorum in oratoribus sacris testimonium, qui nomen suum assidue SS. Bibliorum consuetudini, praeque meditationi se praecipue debere, Deo grati affirmarunt." Haec verba adducens pluries citata Instructio, subiungit: "En igitur sacrae eloquentiae potissimus fons, Sacra Biblia."

XI. Merito igitur ait S. Hieronymus: "Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sanctis: non habet tantam auctoritatem sermo dicentis, quantum Domini praeceptum." Et S. Gregorius Magnus: "Qui ad verae praedicationis verba se praeparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat; ut omne quod loquitur, ad divinae auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo aedificium locutionis suae firmet." Et S. Ioannes Chrysostomus: "Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc haesitans; ubi vero e Scriptura divinae vocis prodiit testimonium, et loquentis sermonem et audientis animum confirmat."

XII. Et quoniam, ut monuit Pius IX in textu supra citato, concionatores praedicare debent "Sanctissimae nostrae Religionis dogmata et praecepta iuxta Catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam", semper prae oculis habeant sapientissima haec S. Caroli Borromaei documenta, edita in sua Instruktionem ad praedicatorum verbi Dei: "Maxime sibi veteres Patres [praedicator] proponat, quorum in dicendo virtutes sequatur; Gregorii Magni et Chrysostomi disciplinae moralis copiam, Leonis Magni et Basilii gravitatem, Nazianzenis vim, Nysseni subtilitatem, Augustini acumen, Ambrosii temperatum dicendi genus, Bernardi dulcem, devotamque orationem, atque omnino admirabilem et divinam eloquentiam sanctissimi Pauli Apostoli, cui uni omnia quae summi sunt concionatoris, atque adeo oratoris, multis praeclaris exemplis tribuunt doctissimi Patres Augustinus et Chrysostomus." Item: "Ad se ardenti pietate inflamment, dum etiam in concionis studio tractationeque versatur, Christi Domini cruci affixi, vel Apostoli Pauli praedicantis (ut S. Chrysostomus fecisse traditur) imaginem sibi ob oculos ponet, quam tacita meditatione intueatur. Maxime vero nocte quae concionis

dium praecedit, eam praeparationem adhibebit, ut ardentem Deum oret, omnis sapientiae omniumque sanctorum virtutum auctorem, qui et sibi, et aliis qui audituri sunt largiatur, unde divinus cultus, et salus animarum adiuvetur.

XIII. Haec S. Caroli monita rationem et finem huius *Homiliarij* exhibent. Christianam enim Cleri pietatem, sacram et patristicam eruditionem promovere, facilioremque praecipuorum Patrum lectionem et imitationem concionatoribus et Sacrae Eloquentiae alumnis reddere volumus.

XIV. Ut autem efficacius verbum Dei populis annuntient sacri concionatores, vitam, studium, mores, praedicationem componere non omittant iuxta documenta hucusque deducta; et ad maiorem eorum populorumque utilitatem sequentia etiam pro norma habeant:

a) Oportet praedicatorem Dei prudentem esse atque sollicitum, ut sciat quem, ad quos, quando et qualiter debeat proferre sermonem, ne per imprudenciam aut tacenda proferat, aut per ignaviam silentio proferenda tegat (IOANN. TRITHEM.).

b) Rudibus populis, seu carnalibus plana atque communia, non summa atque ardua praedicanda sunt; ne immensitate doctrinae opprimantur potius, quam erudiantur (S. ISID. HISPAL.).

c) Oportet ut praedicatores sint fortes in praeceptis, compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in tolerandis adversitatibus rigidi. Non cuncta tempora doctrinae sunt congrua; nam plerumque doctorum virtus perditur, si intempestive proferatur, saepe vero et quod lenius dicitur, conventu temporis congruentis animatur (S. GREG. MAGN.).

d) Duabus ex causis inefficacem spiritualium rerum constat esse doctrinam: aut ille qui docet inexperta commenta vano verborum sono instruere nititur auditorem; aut certe, nequam ac vitiosus refertus, auditor salutarem spiritalis viri sanctamque doctrinam oburato corde non recipit. Qui doctrinae gratiam ad utilitatem aliorum accipit, nec utitur ea, gratiam quoque omnino perdit; qui autem studiose ac sedulo utitur, maiorem gratiam impetrabit (S. IOANN. CHRYSOST.).

e) Praedicator, qui subtilitatibus vacat, et sibi et aliis, qui eum audiunt, lumen veritatis aufert. Furatur, subtilitates fingendo; mactat seipsum, studendo; perdit auditores, decipiendo (HUGO CARD.).

f) Praedicator debet habere aurum, argentum, et balsamum; videlicet sapientiam et eloquentiam, et honestatem; ut quod dicat, intelligat, et quod dixerit et intellexerit, agat (INNOC. III.).

g) Doctrina quanto amplius data fuerit, tanto magis abundat; sapientia dando largior fit, retinendo minorabitur. Largiendo redundantior est sapientia, et dum plus confertur, plus abundat. Cum doces, cum erudis, cum instruis, noli verborum obscuritate uti; ita dic, ut intelligaris; nec simplicibus displiceas, nec prudentes offendas (S. ISIDOR. HISPAL.).

h) Miser et aetumnose, ac proditor, flosculos verborum et compositionem et harmoniam curiosius sectaris, ut canas, non ut prosis; ut sis in admiratione, non ut doceas; ut oblectes, non ut compungas; ut plausu et laudibus obtentis abeas, non ut mores componas (S. IOANN. CHRYSOST.).

i) Si hodie nemini persuaseris, persuadebis postridie; et si nunquam persuaseris, mercedem tamen praedicationis tuae integram habebis. Etsi non omnibus, paucis tamen ex multis persuadere poteris. Si centum nequis, decem curam suscipias; si decem non possis, noli quinque despiciere; si quinque vires tuas excedant, unum ne contempnas. Quod si ne hoc quidem possis, noli desperare, noli labori cedere (Id.).

Romae, in festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, 25 Martii 1903.

TEMPORE ADVENTUS

DOMINICA I. ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. XXI, 29-33.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis:

29. Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum:

30. arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi. Nam virtutes caelorum movebuntur:

31. et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et maiestate.

32. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.

33. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores:

34. cum producant iam ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas.

35. Ita et vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

36. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant.

37. Coelum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA I. IN EVANGELIO. *Habita ad populum in basilica sancti Petri Apostoli, Dominica secunda Adventus Domini.*

DOMINUS ac Redemptor noster, fratres charissimi, paratos nos invenire desiderans, senescentem mundum quae mala sequantur denuntiat, ut nos ab eius amore pescpetat. Appropinquantem eius terminum quan-

tae percussiones praevenerint innotescit, ut si Deum metuere in tranquillitate non volumus, vicinum eius iudicium vel percussionibus attriti timeamus. Huic etenim lectioni sancti Evangelii, quam modo vestra fraternitas audivit, paulo superius Dominus praemisit, dicens: *Exsurgat gens contra gentem, et regnum adversus regnum; et erunt terrae motus magni per loca, et pestilentiae, et fames* (LUC. XXI, 10). Et quibusdam interpositis, hoc quod modo audistis adiunxit: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, prae confusione sonitus maris et fluctuum*. Ex quibus profecto omnibus alia iam facta cernimus, alia et proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exsurgere, earumque pressuram terris insistere, plus iam in nostris temporibus cernimus quam in Codicibus legimus. Quod terrae motus urbes innumeras subruat, ex aliis mundi partibus scitis quam frequenter audivimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Signa vero in sole, et luna, et stellis, adhuc aperte minime videmus, sed quia et haec non longe sint, ex ipsa iam aeris immutatione colligimus. Quamvis priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur,